



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dissertationes Juridico-Theologicæ De Jure, & Justitia

Karchne, Simon

Augustæ Vindelicorum ; [Graz], 1714

§. II. De dominio Religiosorum in particulari, & capacitate acquirendi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40013

tiam in jure Canonico vocantur res Ecclesiarum, & dicuntur ab ijs possideri, haberi, esseque facultates Ecclesiae atque bona, ut *Capit. expedit Causa 12. q. 1.* (ubi etiam praepositus Ecclesiae dicitur dispensator) & *capit. Causa 13. de V. S.* Ergo si inde Adversarij probent jus proprietatis esse penes Christum, eodem jure convincitur jus esse penes Ecclesias. Resp. ergo eatenus dici patrimonium. Christi ac res DEI, quatenus ex intentione fide-

lium debent impendi in cultum DEI, & alimenta ministrorum, residuumque in pauperes erogari.

Hinc infert Molin. apud Haunold. n. 65. bona unius Ecclesiae irrationabiliter translata ab uno Pio loco ad alterum Pium locum esse ab hoc, aut a pontifice restituenda priori contra Navarr. Consentientem, si darentur Laico, ibi enim secus hic remanerent sub dominio Christi, cui secundum ipsum convenit dominium.

§. II

De dominio Religiosorum in particulari, & capacitate acquirendi.

32. **D**ico primo, nullus Religiosus professus est capax ullius domini rei temporalis pretio aestimabilis, ususque juris, sed praecise usus facti, seu rerum necessariorum dependentem a superiorum voluntate; ita Trident. §. 25. c. 2. de Regular. Exprimens ut mobilia, quorum usus conceditur statui paupertatis conveniant, neque fiat superflua, neque ex necessariis aliquid superiores denegent.

Hac porro in capacitas ex voto solenni professorum non oritur praecise ex natura voti paupertatis, quia ad hujus naturam sufficit abdicatio usus rerum retento dominio paupertatis: sicut votum castitatis in conjugibus impediens usum conjugii stat cum dominio mutuo retento in corpora. Neque etiam ex natura voti paupertatis ut constituentis cum aliis verè Religiosum, cum ex Bullis Gregorii 13. constet

dari veros Religiosos retinentes dominium sine tamen libero rerum usu. Neque provenit praecise, ac convertibiliter ex solennitate voti paupertatis, ut patet in Societatis JESU coadjutoribus formatis spiritualibus & temporalibus incapacibus domini cuius vis rei per constitutiones Societatis & Bullas Pontificum apud Sanch. lib 7. moral. c. 18 n. 24. Etsi eorum vota Religiosa sint simplicia quoad hunc enim effectum aequivalent solennibus. Ratio est quod ad solennitatem votorum sufficiat reciproca votorum perpetuitas, hoc enim tam ex parte voventis, quam religionis acceptantis, qui conceptus stare potest sine annexa domini incapacitate, licet hac defacto sit annexa.

Non etiam jure divino hac incapacitas est inducta contra Victoria, & alios, quia alios etiam cum voto simplici paupertatis

tatis stare non posset dominium ex pontificis dispensatione contra proximè dicta, non enim apparet essentialis differentia inter votum simplex, & solenne paupertatis, proinde si jure divino potest stare cum voto simplici, potest etiam stare dominium eodem jure cum voto solenni. Provenit igitur ista domini incapacitas ex jure Ecclesiastico ita disponente jam à tempore Apostolorum, *Less. lib. 2, c. 4, n. 22, & c. 41, dub. 8.*

Dices si jus Ecclesiasticum induxit Capacitatem, Papa in eo possit dispensare contra *c. cum ad Monasterium de statu Monach.* Ubi Innoc. 3. in fine postquam dixisset: *Ne quis Monachorum proprium aliquo modo retineat*, addit, quod nec Pontifex possit indulgere. *Resp.* Non posse dispensare cum independentia ab arbitrio superioris, posse tamen dispensare cum dependentia ab arbitrio. Quapropter essentia Religiosæ paupertatis non est sita in eo, ut reddat hominem incapacem omnis domini, sed ejus tantum, quod in sui usu non dependet à voluntate superioris. Hinc

Infero primò, Solemnitatem votorum non esse juris Divini sed positivi Ecclesiastici, proinde Pontificem in votis etiam Solennibus posse dispensare, atque adeo incapacitas domini provenit ex positivo jure Ecclesiæ, quam sicut liberè adjecit, ita, ex justa causa potest tollere à votis facientibus veros Religiosos. Ex hoc

Infero secundò, Scholasticos Societatis etsi sint non minùs propriè Religiosi, quam quisque Solenniter professus, esse in particulari veros Dominos rerum, quas habuerunt ante votorum emissionem: nequeunt tamen licitè uti jisdem rebus independentè à Superiorum Licen-

tia, uti constat ex Societatis Constitutionibus, & Bullis Gregorij 13. *Quando fructuosus, & c. & Ascendente Domino.*

Dixi in Conclusionè ullius rei temporalis, quia votum paupertatis etiam in Professis stat cum dominio, vel quasi dominio, vel possessione jurium, ac bonorum spiritualium in particulari v. g. juris ad beneficia regularia (ad quorum possessionem obtinendam, retinendam & recuperandam possunt agere nomine proprio) juris eligendi, juris alimentorum, & apud aliquos manendi in tali Cœnobio: his enim per votum paupertatis non renunciant, uti nec dominio famæ, ac honoris, nisi huic postremo cedant ob specialem Ordinis Constitutionem. Cœterum Regulares non retinent dominium fructuum, quos percipiunt ex beneficiis sed jus administrandi ad congruam sustentationem, vel ad alias pias causas ex præscripto canonum aut Ordinis; Ex proxima hac doctrina.

Infero tertio, Religiosos etiam Professos habere dominium suorum manuscriptorum, sive ea sint proprio sive alieno studio elaborata, unde de iis sine Licentia Superioris possunt disponere, donare, comburere, secum tollere, donata ab aliis accipere, ita Lugo hic *Disp. 3, n. 230.* quia sunt partus scientiæ, & hujus accessorium, ergo sequuntur naturam Principalis, quod non est materia paupertatis voti, utpote res spiritualis.

Illatio ampliatur ad Reliquias Sanctorum etiam magni valoris non inclusas thecæ pretiosæ (hæc enim est pretio æstimabilis, uti & Medalia, Imagines, Cruces, Grana benedicta, &c. Ideo opus est Licentia, nec acquiritur similibus dominium)

nium: quia non sunt pretio temporali æstimabiles.

Infero quartò Prælatum peccare contra justitiam absque causa justa accipientem scripta sui Religiosi, foret autem causa justa si scripta essent damnosa Religioso, aut Religioni.

33. Dico Secundo omnes Religiosi professi etiam Societatis Jesu, ac Minores capaces sunt legati rei etiam immobilis eo modo, quo capax est Societas Professa, ac Conventus Minorum, unde legatum rei immobilis relictum Professo, aut graduatò coadjutori Societatis debet vendi (si tunc sit in domo Professa, acquiritur enim domicilium in quo tunc est, unde cum Collegium, & Domus Probationis ejusdem Societatis sit capax stabilium acquiritur huic citra necessitatem vendendi, si tunc illic commoretur, Lugo n. 104. & sequentibus ex numero 29. cum secundum jus quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirat) uti & relictum Minori, aut Capucino, sed cum dominium non habeat, debet vendi ab hærede, & hoc negligente ab executore testamenti, fructus interea spectant ad hæredem legati immobilis possessorem, Salmanticenses hic tract. 12. c. 2. n. 172. legatum tamen non potest esse æquivalens hæreditati, seu in magna quantitate, quia hoc præjudicat strictæ Ordinis mendicitati per cit. Extrav. Exiit. §. cupientes, & §. si verò.

Scholastici verò Societatis cum capaces sint domini, retineantque ad tempus à Societate juxta Constitutionem præscriptam, possunt constitui legatarii in re etiam immobili. Circa hanc certam conclusionem.

Quæres primò quorum bonorum dominium habeant Scholastici Societatis post

emissa vota, an etiam eorum, quæ post vota acquirunt, Constitutiones enim non distinguunt. Resp. Si acquisita sint ex non statim absumendis, sed aptis augere Capitale patrimoniale, eorum dominium acquirunt à quocunque sint legata, secus si sint statim ex absumptilibus, ut vestes, alimenta etiam 4. aut 5. annis sufficientia, &c. non quod incapaces sint horum domini ex Licentia Superiorum, sed defacto ex praxi Societatis non habent Licentiam talia sibi appropriandi, ita Lugo Disput. 3. à n. 32. notans in fine numeri 90. hoc punctum se contulisse cum P. Mutio Vitellesco tum Præposito Generali, unde fit quod ejusmodi bonorum dominium acquiratur immediate Religioso non permanentem, sed statim transeat ad domicilium, in quo tunc est Lugo n. 93.

Sed quia aliqua ex legatis sunt talia, quæ ipso facto sine Prælati Licentia, & etiam ignorante Legatario fiunt hujus statim, ac moritur testator, aut saltem ab adita hæreditate sequitur, quod Scholasticus Societatis non possit licitè absque consensu Superioris repudiare similia, quia juri acquisito cederet; si autem sint rei incertæ, proinde non acquirantur ipso jure, opus est licentiâ, ut licitè acquirantur: sed cum neutrum legatorum genus immediate deferatur Religioni, sed Scholastico, Superior non potest sine consensu legatarii validè repudiare.

Quæres secundò an Professi, & coadjutores Formati Societatis possint licitè, ac validè repudiare? idem quæritur de Professis cujusvis alterius Ordinis? Resp. Cum Lugo n. 94. ex Sanch. lib. 7. Mor. c. 12. n. 38. negative de Legatis in rebus certis, ac determinatis, quia hæc non indigent additione ipsòque jure à Morte restato-

E

stato-

statoris, aut ab adita hæreditate acquiruntur, cumque jus ex iis sit acquisitum nequeunt infcio superiore vel contradicente validè repudiare jus, sicut nec licitè acceptare legata. Non obstat, quod Religiosus licite possit nolle accipere domum, quia hoc non est alienare, sed non acquirere, quod non est contra votum paupertatis, siquidem doni oblatione nullum jus acquiritur monasterio, secus per legatum.

35. Dico tertio ferè omnium Ordinum Professi capaces sunt successione hæreditariæ tam ex testamento, quam ab intestato, ita habetur *L. DEO nobis 56. §. 1. Cod. de Episcop. & Cler.* quam Canonizat & approbat Gregorius Pontif. *Cap. si qua mulier causa 13. q. 3. Lugo n. 190.*

Dixi ferè omnium quia Fratres Minores, & Capucini sunt incapaces per cit. Extrav. exiit. Item Professi Societatis, & formati coadjutores, quod sint incapaces ab intestato est certum *ex p. 6. Constit. c. 2. §. 12. Quo melius inquit Paupertatis puritas conservetur, non solum Particulares Professi, vel coadjutores formati hæreditariæ successione non erunt capaces, verum nec domus, nec Ecclesie, nec Collegia eorum ratione.*

An autem ex his verbis concludatur etiam incapacitas ex testamento, dubitari potest. Affirmant præcipui Societatis Doctores. Suar. Molin. Sanch. Lugo à *n. 99. Resp.* Probabilius negativè cum Wadingo *de contract. Disp. 4. dub. 5. n. 51.* quia in odiosis, quale est statutum reddens aliquos successione incapaces, sensus desumendus est ex propria notione vocis *Successio*, atqui hæc vox ex propria notione comprehendit successione tantum ab intestato, capaces, ita jurisconsulti apud

Wadingum. Vide Pereyra *in Elucida, Theol. lib. 2. Elucidat. 15. n. 1088.* Ubi ita loquitur, succedere est in alterius locum venire, absolutè prolatum intelligitur ab intestato *L. 3. §. de illo ff. pro socio.* Nec est ullum absurdum graduatos Societatis esse incapaces ex intestato, capaces verò ex testamento, ut patet ex usu recepto in Callia, ubi omnes Professi Religiosi fiunt incapaces successione, quin sint incapaces successione testamentariæ, ita Joann. Paponius *in Consuetudines Bartonias §. 318.* Eandem sententiam in contingencia facti sequitur Joann. Bap. Cardinal. de Luca *in Teatro veritatis & justitiæ. Tom. 1. p. 2. de Regular. Discurs. 63. n. 3 & 19.* Explicans Constit. nostræ Societatis procedere Primò in fidei commissariis successioneibus. Secundo in indirectis, in quibus quis ante Professionem nempe adhuc sæcularis, aut Scholasticus est constitutus hæres, aut alia dispositio in favorem fiat; postea fiat Professus ante mortem testatoris, hoc casu est incapax hujus dispositionis propter ejusdem caducitatem, quæ etiam de jure civili resultat: per mortem naturalem testatorij ante testatorem, Professio autem æquivaleret morti naturali in hæreditatibus, ac in legatis, secus autem si quis post professionem institutus sit hæres, tunc enim non minus valet dispositio ac valet, dum instituitur hæres domus professa.

Addit à *n. 20.* assertum suum subsistere, etsi hæredi annexum esset onus perpetuum E. g. quotidianæ missæ, ac anniversarij, quale Societas per suos adimplere non potest, tunc enim, inquit, Societas solum tenetur procurare, ut fiat per alios, nec dici potest, quod personarum industria eligatur in adimplerone talis

ralis oneris, eo quod in executione beneficij, aut capellanix non inducatur qualitas sacerdotalis, cum recte idem onus præstari possit per substitutum, quando non constat ex enixa & præcisa volitione testatoris fieri debere per seipsum: imo et si de hac constaret, adhuc non foret caduca integra hæreditas, sed rata bonorum oneri tali proportionata, quia in ultimis voluntatibus præsertim ad opera pietatis utile per inutile vitari non debet secundum jura.

Nec est negligenda notabilis differentia, quam citatus Cardinalis à. n. 14. observat inter Minores observantes, & Capucinos ex una parte ac Professos Societatis ex altera, quod priores sint incapaces vi juris Canonici, ex cit. Extravag. de N. S. Societatis autem hæc incapacitas sit voluntaria ob voluntariam renuntiationem factam à Professis, tunc Triden-

tino præsentibus nomine Societatis teste Fagnano in c. in presentia de probat. n. 84. ac etiam ob Societatis Constitutiones, quæ et si ratione Confirmationis Apostolicæ sint obligatorix, attamen ad præscriptum eorundem ab ipsamet Societate, vel ejus Præposito P. Generali, vel Generali Congregatione moderari, declarati, ac interpretari possunt.

Demum etiam Professi Carmelitæ disscalceati sunt ab intestato incapaces omnis hæreditariæ successione, unde Novitius ante Professionem mortuus sine dispositione, si quæ habuit bona transmittit ab intestato ad hæredes: uti habetur in eorum Constitut. 1. p. c. 7. n. 12.

De Scholasticis autem Societatis certum est eos succedere tam ex testamento, quàm ab intestato, cum per numerum 32. sint capaces domini, hocque retineant ad tempus à Societate designatum.



§. III.

An & quomodo Religio succedat suis Religiosis in dominio?

36. **P**Ræmitto primò, quod omnia jura loquentia de ingressu Religionis sint intelligenda de ingressu per professionem Sanch. Lib. 5. Moral. c. 1. n. 22.

Præmitto Secundò vigore Tridentini Sess. 25. c. 16. de regular. annullari omnes Novitiorum renuntiationes & obligationes firmatas etiam juramento quantumcunque pias, nisi cum Licentia Episcopi, aut Vicarij intra duos menses proximos ante Professionem fiant, Hoc ta-

men decretum non habet locum in testamento, aliisque ultimis voluntatibus, uti fatetur Congregatio Concilij ad hunc locum. Idem Decretum Concilij excipit Societatem JESU hisce verbis *per hæc tamen sacra Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JESU juxta pium eorum institutum à sacra sede Apostolica approbatum Domino, & ejus Ecclesie inservire possit.*

E 2

Præ-